

nis in eam intenta, *vel* ignorat meritum mediatoris Christi ad declinandam Legis maledictionem fide apprehendendum, *vel*, ad se pertinere nescit; *vel* si maxime hæc alias cognoverit, nunc tamen vehementius turbata & consternata, aut negat, aut in dubium vocat, aut saltem quod credat, in se ipsa non deprehendit, luctam potius in se aliquam sentiens, quam $\pi\lambda\eta\gamma\alpha\Phi\sigma\acute{\alpha}\nu$ fidei; ut adeo Lex interim terrere, Deique irati minas & fulmina exhibere non desinens, hominem damnationi vicinum reddere posse.

§. XXXV. Quibusstantibus jam ulterius cognoscendum est, an aliquid? & quidnam? *Satanae*, tanquam Auctori, istius prægustus damnationis tribuendum sit. Certum est, Diabolum, qui *tanquam leo rugiens circumit, querens, quem devoret,* *I. Pet. V, 8.* prout ipsam damnationem nostram querit, sic non raro conari, si quos jam in hac vita secuturæ damnationis sensu affligere possit. Et quia novit, *alios* per securitatem carnalem, *alios* agnitis peccatis per desperationem posse ad interitum pertrahi: sane mirum non est, si *eis*, quos conscientia expergefacta a carnali securitate abstrahit, objecta malorum infernalium specie persuadere nitatur, quasi jam damnati, aut saltem in limine damnationis constituti, sint, sic illos desperabundos tanto certius damnatum iri, & sibi socios fore, persuasus.

§. XXXVI. Atque huc pertinet, quod supra diximus, Davidem *Psal. XVIII.* conquestum esse, quod *torrentes Belial ipsum terruerint*: & Paulum *II. Cor. XII.* quod *angelus Satanae colaphis ipsum ceciderit*: ac præterea constat, quam sæpe de *telis igneis* *Satanæ* ex *Epb. VI, 16.* verba faciant, qui doctrinam de temptationibus spiritualibus exponunt. Eodem pertinet, quod §. XV. indicavimus, aliquando Satanam ipsum horribili specie *apparere*, ac terrere hominem, tanquam sibi subjectum, & regni sui incolam aut mancipium factum vel futurum. *Cogitationes* quoque illæ *impiæ* ac *blasphemæ*, quæ in æstu temptationis constitutis, atque invitis, in animo oriri solent, suggestionibus *Satanæ* vulgo tribuuntur. Tanto magis autem, si verum *Odiu[m]* *Dei*, si *blasphemia atrocior ac desperatio plenior compareat,*

Sata-